



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 5. Et recumberet. v. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

pijs damner in tuo iudicio, sed sim in omnibus fidelis seruus.

§. 4. *Et cum esset Bethania in domo Simonis leprosi. v. 3.*

Describitur hic locus, ubi fuerit Iesus, quando concilium fecerunt Iudæi de illo capiendo; scilicet in Bethania, quæ erat vicus non longe distans ab Hierusalem, pertinet ad Mattham sororem Lazari & Magdalenam, & Latinè sonat domus obedientiæ. neque solum castellum totum, sed & partem eius insinuat, nempe in qua domo fuerat, quam ait fuisse. Simonis leprosi, quæ omnia nobis aliquid pium & ad mores pertinens indicant, nempe passurum esse Dominum pro liberandis peccatoribus ex Patris sui obedientia. nec vacat mysterio quod in eandem domum leprosi nuper, nunc vero sanati, adueniat Maria soror Lazari, quia hoc ipso magnificè indicatur quis futurus post passionem Domini Ecclesiæ suæ status conuenientibus in eam peccatoribus iam mundatis, conuersis, iustificatis.

Domine obsecro inueniaris quoque in domo mea licet leprosi & magni peccatoris ut cures me ab omni lepra animæ, & conuiueris mecum per eucharisticum convivium, sed & inueniar ego semper in Ecclesia tua sancta, Amen.

§. 5. *Et recumberet. v. 3.*

Olim erat mos Iudæorum recumbere ad mensam, quem modum seruauit Christus etiam suo tempore, nolens eum mutare, quia erat indifferens, sed acceptus à populi & patriæ usû; ideoque seruauit & eundem modum recumbendi ad mensam ne videretur singularis; nos docendo, si quem morem vel modum inuenimus qui sit indifferens, nec vel contra Dei mandatum, aut mores bonos & honestatem, relinquendum, nec facile mutandum, ob singularitatem quæ parit apud populum inuidiam, nauseam & oblocutionem: è contra vero, si quem videmus morem minus honestam, vel contra Dei consilium vel præceptum, eum velis remissive conuenimur dissuadere, diuertere & abolere, maxime hi qui in officio & potestate constituti sunt.

Ita Domine faciam, ut si quid inhonestum, illaudabile, vitiosumque videro aut sciuero, idem ipsum coner emendare, & corrigere, omni studio, donec perfectius quid largiaris mi Deus.

§. 6. *Venit mulier habens alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi. v. 3.*

Describit Euangelista quid factum sit in Bethania in domo Simonis & in accubitu: quod scilicet venerit eodem mulier, quæ & qualis non nominat, sed ostendit solum vel pœnitentiam eius & conuersionem, vel certe